


Quomodo etiam cuiuslibet syderis extra circulum, qui per me-
dium signorum est positi, cuius tamē latitudo cum longitudi-
ne cōstitit, declinatio & ascensio recta pateat, & cum quo
gradu signiferi cælum mediat. Cap. IIII.



HÆc de signifero æquinoctiali & meridiano circulo,
ac eorum mutuis sectionibus exposita sunt. Verum
ad cotidianam reuolutionem non solum interest sci-
re, quæ per ipsum signiferum apparent, quibus Sola-
ris tantummodo apparentiæ, aperiuntur causæ, sed etiam ut eo-
rum quæ extra ipsum sunt, stellarum fixarum errantiumq̃, qua-
rum tamen longitudo & latitudo datæ fuerint, declinatio ab æ-
quinoctiali circulo, & ascensio recta similiter demonstrantur.
Describatur ergo circulus, per polos æquinoctialis & signiferi
A B C D, hemicyclus æquinoctialis sit A E C, super polū F, & signife-
ri B E D, super polū G, sectio æquinoctialis in E signo. A polo autē
G per stellam deducatur circumferentia G H K L, sitq̃ stellæ locus



datus in H signo, per quam à polo diurni mo-
tus descendat circuli quadrās F H M N. Tunc ma-
nifestum est quòd stella quæ in H existit meri-
dianum incidit cum duobus M & N signis, & ip-
sa H M N circumferentia est declinatio stellæ ab
æquinoctiali circulo, & E N ascensio in sphæra
recta, quæ quærimus. Quoniam igitur in tri-
angulo K E L, latus K E datur, & angulus K E L, et
E K L rectus, dantur ergo per quartum sphæri-
corum latera K L & E L, cum reliquo angulo qui sub K L E, tota
ergo H K L datur circumferentia. Et propterea in triangulo H L N
duo anguli dati sunt H L N, & L N H rectus, cum latere H L: dantur
ergo per idem quartū sphæricorū reliqua latera H N declinatio
stellæ, & L N, quæq̃ superest N E ascensio recta, qua ab æquinoctio
sphæra ad stellam permutatur. Vel alio modo. Si ex præ-
cedentibus K E circumferentiã signiferi assumas tanquam ascen-
sionem rectam ipsius L E, dabitur ipsa L E, uiceuersa ex Cano-
ne ascensionum rectarum, & L K ut declinatio cōgruens ipsi L E,
atq̃